in ecclesia est sepulta. Nocte autem eadem eiusdem ecclesie custos per revelationem vidit quod deducta ante sacrum altare per medium secabatur et pars una illius igne cremabatur pars autem altera intacta remanebat. Cumque hoc fratribus mane surgens narraret et locum vellet monstrare in quo fuerat igne consumpta ipsa flamme combustio ita ante altare omnibus apparuit ac si illic eadem femina corporeo fuisset igne concremata. Ex qua re aperte datur intelligi quia hii quibus peccata dimissa non fuerint ad evitandum iudicium sacris locis post mortem non valent adiuvari.

54 De sepultura Valeriani patricii

Iohannes quoque vir magnificus tri. in hac urbe locum prefectorum servans cuius veritatis sit novimus. Qui michi testatus est Valerianum patricium in civitate que Brixia dicitur fuisse defunctum cui eiusdem civitatis episcopus accepto precio locum in ecclesia prebuit in quo sepeliri debuisset. Qui videlicet Valerianus usque ad decrepitam etatem levis ac lubricus extitit modumque suis pravitatibus ponere contempsit. Eadem vero nocte qua sepultus est beatus Faustinus martir in cuius ecclesia corpus illius fuerat humatum custodi suo apparuit dicens. Vade et dic episcopo ut proiciat hinc fetentes carnes quas hic posuit quod si non fecerit die tricesimo ipse morietur. Quam visionem custos episcopo timuit confiteri et rursus admonitus declinavit. Die autem tricesimo eiusdem civitatis episcopus cum vespertina hora sanus atque incolumis ad lectum redisset subita et inopinata morte defunctus est.

De corpore Valentini defensoris ab ecclesia proiecto.

55 Adest quoque in presenti venerabilis frater Venantius Lunensis episcopus et Liberius vir nobilissimus et veracissimus qui se scire suosque homines interfuisse testantur ei rei quam nuper in Genuensi urbe narrant contigisse. Ibi namque ut dicunt Valentinus nomine Mediolanensis ecclesie defensor defunctus est vir valde lubricus et cunctis levitatibus occupatus. Cuius corpus in ecclesia beati martiris Siri sepultum est. Nocte autem media in eadem ecclesia facte sunt voces ac si quis violenter ex ea repelleretur ac foras traheretur. Ad quas nimirum voces cucurrerunt custodes et viderunt duos teterrimos spiritus qui eiusdem Valentini pedes quadam ligatura strinxerant et eum ab ecclesia clamantem ac nimium vociferantem foras trahebant. Qui valde exterriti ad sua strata reversi sunt. Mane autem facto aperientes sepulcrum in quo idem Valentinus positus fuerat eius corpus non invenerunt. Cumque extra ecclesiam quererent ubi proiectum fuerat invenerunt hoc in sepulcro alio positum ligatis adhuc pedibus sicut de ecclesia fuerat abstractum. Ex qua re collige quia hii quos peccata gravia deprimunt si in sacro loco sepeliri se faciant restat ut de sua etiam presumptione iudicentur quatinus eos sacra loca non liberent sed etiam temeritatis culpa accuset.

56 De sepultura cuiusdam tinctoris.

Nam quid in hac urbe contigerit tinctorum qui hic habitant plurimi testantur quod quidam artis eorum primus cum defunctus fuisset in ecclesia beati Ianuarii martiris iuxta portam sancti Laurentii a coniuge